

## CANTIO APLHABETICA DE MULIERIBUS

Audite alphabetica  
cantica sophistica,  
cuius sit amor generis  
et favor mulieris.

Bilingwis mulier,  
instabilis ut aer,  
decipit quam plures,  
velud in nocte fures.

Cruenta bestia  
tendit ad terrestria,  
delusio, destructio  
status personalis.

Dolosa, valida,  
ad omne malum valida,  
derisio, deceptio,  
fame, claritatis.

Ewam pronunncians  
viri fallatricem,  
eius cave presenciam  
velud dampnatricem.

Furtive subtrahit,  
fugias saltatricem,  
eius cave presenciam,  
agnosce meretricem.

Garula et fatua,  
omnis honoris vacua,  
gerula mendacii,  
verborum comportatrix.

Habentem, non egentem,  
facit mendicantem,  
dominum superbum  
transmutat in servum.

Ignis infernalis,  
pena gehennalis,  
ira et invidia  
ipsam comitantur.

Karitas deifica  
per ipsam obfuscatur,  
chaos creans malefica:  
desiste, amator.

Lustrat per plateas,  
pompas et choreas,  
visitat parrochias,  
scolas et thabernas.

Mediatrix mamone  
miseri mechantis,  
mors carnis et anime  
fit non penitentis.

Neutru vult diligere,  
quemque vult amare,  
clericum decipere  
et laycum fraudare.

Omnes fallit homines,  
papales, cardinales,  
monachos, presbiteros,  
decipit prelatos.

Plures parit filios,  
ab lege facit spurios,  
vult esse heriles,  
servos facit viles.

Querit es et obulum,  
grossum et florenum,  
non querit honorem  
sed tendit ad pudorem.

Rectrix senis, iuvenis,  
pauperis et divitis,  
ipsa lutibundum  
totum facit mundum.

Sorbet sapienciam,  
deglutit prudenciam  
ut fecit Sampsoni,  
Platoni, Salomoni.

Tondet tua, tenet sua,  
turpet, torquet animum,  
frivolum, zelotipum,  
ipsum facit benivolum.

Vacua vacuitas,  
vanitatum vanitas,  
honorem Deo demus  
et cum eo vivemus. Amen.

## IN TABERNA QUANDO SUMUS

In taberna quando sumus,  
non curamus quid sit humus,  
sed ad ludum properamus,  
cui semper insudamus.  
quid agatur in taberna  
ubi nummus est pincerna,  
hoc est opus, ut quaeratur;  
si quid loquar, audiatur.

Quidam ludunt,  
quidam bibunt,  
quidam indiscrete vivunt.  
Ssed in ludo qui morantur,  
ex his quidam denudantur,  
quidam ibi vestiuntur,  
quidam saccis induuntur;  
ibi nullus timet mortem,  
sed pro Baccho mittunt sortem.

Primo pro nummata vini;  
ex hac bibunt libertini;  
semel bibunt pro captivis,  
post haec bibunt ter pro vivis,  
quater pro Christianis cunctis,  
quinq̄ies pro fidelibus defunctis,  
sexies pro sororibus vanis,  
septies pro militibus silvanis.  
octies pro fratribus perversis,  
nonies pro monachis dispersis,  
decies pro navigantibus,  
undecies pro discordantibus,  
duodecies pro paenitentibus,  
tredecies pro iter agentibus.

Tam pro papa quam pro rege  
bibunt omnes sine lege.  
Bibit hera, bibit herus,  
bibit miles, bibit clerus,  
bibit ille, bibit illa,  
bibit servus cum ancilla,  
bibit velox, bibit piger,  
bibit albus, bibit niger,  
bibit constans, bibit vagus,  
bibit rudis, bibit magus,  
bibit pauper et aegrotus,  
bibit exul et ignotus,  
bibit puer, bibit canus,  
bibit praesul et decanus,  
bibit soror, bibit frater,  
bibit anus, bibit mater,  
bibit ista, bibit ille,  
bibunt centum, bibunt mille.

Parum sescentae nummatae  
durant cum immoderate  
bibunt omnes sine meta,  
quamvis bibant mente laeta;  
sic nos rodunt omnes gentes,  
et sic erimus egentes.  
qui nos rodunt, confundantur  
et cum iustis non scribantur.